

Effunde super eos iram tuam ; * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta, * et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet ;

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt ; * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum ; * et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium ; * et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens : * salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico, * et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes, et lætentur : * quærite Deum, et vivet anima vestra ;

Quoniam exaudivit pauperes Dominus, * et vinctos suos non desepit.

Laudent illum cæli et terra, * mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion, * et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, * hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam ; * et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Gloria Patri.

Finito Psalmo, et repetita antiphona, Pontifex surgit, deposita mitra, et versus ad altare, dicit :

Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in Nomine tuo specialiter aggregati : veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris : doce nos quid agamus, quo gradiamur ostende, quid efficiamus operare. Esto solus et suggestor et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et ejus Filio nomen possides gloriosum : non nos patiaris